

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum**

**Fecht, Johann**

**Francofurti et Spirae, 1684**

**VD17 VD17 3:315948Z**

LIV.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

isthuc profecturum esse. Reverenter itaque à te peto, ut tuam auctoritatem eo conferas, ut Tilemannus in Academiam Heidelbergensem legitime per hunc Tabellarium vocetur. De injusta ipsius ejectione & de meo in hanc Academiam reditu, ante mensem ad te literas dedi tabellario Wormatiam eunti. Eas te accepisse spero.

Affinem meum, Brandanum, reverenter tibi commendo, teq; oro, ut si quo officii genere rationibus ipsius poteris consulere, meâ etiam causâ amantius ipsum complectare.

De Colloquio Wormatiensi, deq; Ecclesiarum & Scholæ vestræ statu, amantius oro, ut ea, quæ amico scire licet, mihi impertias. Deum oro, ut te servet, & cursum vitæ nostræ regat, ut sit Deo gratus & Ecclesiæ salutaris. Bene & feliciter vale. Rostochii, 14. Novemb. Anno 1557.


David Chytræus.

LIV.

*S. D. Reverende Vir & Charissime Frater.*

**H**eri publicè nostris lectæ sunt regiæ literæ, sanè moderatè scriptæ, quæ jubent pertexi inchoatam collationem doctrinæ. Quid facturi sint Antagonistæ nostri, nondum scimus. Tu tamen de reditu tuo statues, quod Micaelus noster suadebit. Nondum in ea sum opinione, ut putem, antagonistas ἀπαρεστημιμαχῶντας, redituros esse in certamen, præsertim cum & Letomus adhuc absit, qui λογδοῦδαλος est sui agminis, quem existimo in promiis magis disertum fuisse, quam erit in dogmatibus, διδάσκων ἢ αἰδῶν ἰαίτης, inquit Pindarus. Versiculos heri de Thuringica Elisabetha, quæ fuit exemplum piæ matronæ, factos ad Pistorium tibi mitto. Existimo enim, te quoq; cogitatione virtutis in meliore seculo delectari. Salutem opto Domino Sturmio & vobis omnibus. Bene vale. Die quò celebratur memoria Thuringicæ Elisabethæ.

Philippus



*Reverendo D. Pistorio,*

**G**ratia munera summa Conditoris  
Narremus, sibi colligit quod agmen,  
In quo fulgeat ipse, sempiternum,  
Plenum justitiæque gaudioque.

Hujus agminis est Elisabetha  
Consort, que tenuit vetusta sceptrum  
Ora Tyrigetum, fuitque mater  
Stirpis inclita Principum tuorum

Qu

Qui Fulda dominantur & Visurgis.  
 Semen servat enim Deus piorum.  
 Hanc cum nunc celebres Elisabetham,  
 Ad nos advenias, Nidane Pastor,  
 Matrone ut pia facta proferamus,  
 Ut tali pietate nos colamus  
 Æternumque Deum, Deique Gnatum  
 Ac motus animi leves domemus.  
 Multum exempla pios juvare possunt.  
 Quanto robore pertulit dolores,  
 Extincto pariter viro atque gnato?

Ac pulsa ex patria Viri atque gnati  
 Ostendens mala perferenda sanctis  
 Esse ingentia, ut invocare discant  
 Mirandum auxilium Deum ferentem,  
 Presentemque suis adesse cernant.  
 Sic cur nostra onerata mole tanta  
 Sit natura, sciamus, atque justo  
 Sit subjecta Deo, simulque propter  
 Gnati vulnera nos opem petamus.  
 Hoc exempla monent Elisabetha.

Philippus Melanthon.

Anno 1557.

LV.

**S** Valde gratum officium præstitisti, Vir clariss. & ex animo mihi colen-  
 de frater, quod tam diligenter de statu Ecclesiæ ad me perscripsisti. Do-  
 let autem vehementer, spem multis de instituti Colloquii fructu conceptam,  
 in ventum abiisse, & tot sanctorum labores fuisse irritos, DEO nimirum pec-  
 catis nostris irato, quo solo benedicente prosperantur piorum actus & studia.  
 Solatur tamen nonnihil me, quod Adversariorum culpa, non vestrâ abru-  
 pra sit collatio. Utinam verò de sanandis Ecclesiæ vulneribus serio consti-  
 tuatur à Principibus, quo liceat communi operâ velutque consertis manibus  
 oppugnare hostem & potentem & pertinacem. Ac speraveramus, Tigurinos  
 fratres, quorum sententiam requisiveramus, consensuros facile, ut venirent, si  
 ad generalem Synodum invitarentur. Sed declarant se nonnihil difficiles,  
 eò quod Protestatione postrema, metuantque proinde, ne Synodo forte gravius con-  
 troversia exardescat. Probabatur fratribus meis & mihi consilium impense,  
 qui non dubitemus adfuturum Christum Dominum piorum cætui, daturum-  
 que, ut fraterna collatione mitigari saltem quædam possint & explicari com-  
 modius, quæ minus videntur perspicua. Cuperem de his vehementer quæram.  
 De Clivensi duce sunt, qui spem nobis faciant, professionem religionis pu-  
 ram apud suos procuraturum esse, de quo si quid habes, quæso, per præsen-  
 tium Latorem significa. Facit ejus improvisus abitus, ut tumultuanter &  
 bre-